

# EPISTULA LEONINA

## LXXXIII

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ēDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETTIALI  
 CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **G R A T I S** ET **S I N E ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-LXXX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONE M CONVENTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**OCTOGESIMAM TERTIAM (83) !**



## ARGUMENTA

1. **Mythi Graeci: De Salmoneo. Hercules quomodo natus sit.**
2. **Fabella Grimmiana: De rege Turdibarbo (*König Drosselbart*)**
3. **De Praemio Nobeliano Physices**
4. **Transeamus usque Bethlehem**

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

***Cara Lectrix, Care Lector,***

*valdē gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam octogesimam tertiam. Quae incohatur oratione praesidis foederalis Germaniae Natalicia.*

*Sequuntur Mythi Graeci et Fabula Grimmiana et Relatio de Praemio Nobeliano attributo. Necnon Echus et Voces (quibus inest etiam facetia Brasiliana).*

*Finitur autem haec Natalicia Epistula Leonina pulcherrimo cantico chorali Natalicio, quod admirabiliter cantatur a Guntero Wewel. Utinam tibi contingat, ut audias usus iunctione interretiali tibi praebitâ.*

**IN NATALE DOMINI OPTIMA QUAEQUE TIBI EXOPTO !**

**Medullitus Te salutat**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**




<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d.25, m.Dec. a.2014,



id est Primo Die Natalicio



**SILENT LEGES INTER ARMA.**

**M. T. CICERO**

**(106-43 a.Chr.n.)**

**CICERO, Oratio pro Milone 4,11** Silent enim lèges inter arma; nec se exspectari iubent, cum ei qui exspectare velit, ante iniusta poena luenda sit, quam iusta repetenda. Etsi persapienter et quodam modo tacitè dat ipsa lex potestatem defendendi, quae non hominem occidi, sed esse cum telo hominis occidendi causâ vetat; ut, cum causa, non telum quaereretur, qui sui defendendi causâ telo esset usus, non hominis occidendi causâ habuisse telum iudicaretur. Quapropter hoc maneat in causâ, iudices, non enim dubito quin probaturus sim vobis defensionem meam, si id memineritis quod oblivisci non potestis, insidiatorem iure interfici posse.

# IOACHIMI GAUCK PRAESIDIS FOEDERALIS GERMANIAE

## ORATIO NATALICIA ANNI MMXIV



»Qui paratus est ad difficultates superandas, inveniet quoque vias superandi«.  
*Ioachimus Gauck Germanos monet, ut parati sint ad adiuvandum et defendant societatem apertam.*

*d.24.m.Dec. a.2014 h.08:25*

»Bonum vesperum vobis exopto in Castello *Bellevue* versans. Necnon vobis omnibus, undecumque nunc aspectatis, exopto laetum Natale Domini!

Sollemnibus his diebus inter nos dona ferimus. Bonis votis visitationibusque manifestamus nos inter nos coniunctos esse – familiâ, amicitiâ, vicinatu<sup>1</sup>. His copulis egemus. Nam eo animum nostrum explemus atque reddimus felicem, quod aliis nos tales praebemus, quales speramus alios fore erga nos: attentos et affabiles et indulgentes.

Carae concivissae<sup>2</sup> carique concives, annus ad finem se vergit, quo gaudii causae sunt multae: Germania homines opere occupatos habet

<sup>1</sup> +vīcīnātus, -ūs m. *Nachbarschaft*. Hoc est verbum mediaevale, cfr Peter Stotz, Handbuch zur lateinischen Sprache des Mittelalters, tomus 5, Wortregister, München 2004, p.1037: \*vicinatus, -us m. ,Nachbarschaft' VI, 67,3.

<sup>2</sup> +concīvissa, -ae f. *Mitbürgerin*. cfr Stotz, op.mem., p.578: concivissa, ae ,Mitbürgerin', VI, 37,4.

plures quam umquam antea exterisque nationibus numquam gratiō fuit, necnon est victrix pedifolliarii certaminis mundani.

At simul respicimus in annum plenum discordiae et bellorum civiliumque bellorum et facinorum tromocraticorum<sup>3</sup> homicidaliumque, quorum auctores se provocant ad ipsam religionem. Omni ferē die audimus de hominibus occisis. Ante oculos habemus miserrimos homines patriae expertes atque fugatos innumerabiles. Cum nunc audimus nuntium natalicium, qui est: »Et in terra pax!«, idem hōc anno nobis sonat urgentissimē. Nam sentimus nullam pacem sponte et ultiō fieri. Omnem pacem, immo, eam quoque, quam experiamur apud nos felices et liberi, esse pretiosam.

Nostra terra hodie est terra pacis. Itaque ibi, ubi fieri potest, ut aliquid conferamus ad pacem servandam aut reconciliandam, ad passionem mitigandam melioresque res futuras efficiendas, oportet faciamus omnia, quae facere valemus. Noster cultus civilis humanusque, nostra civitas democratica adversantur discordiae et odio et violentiae mortiferae.

Necessarium est homines societate inter se coniunctos cottidie unum alterius dignitatem observare salutemque curare. Hac tantum ratione fieri potest, ut homines convivant in pace. Haec autem ratio praescribitur omnibus religionibus, hac ratione nos omnes coniungimur atque obligamur.

Nostrae societatis humanitas mihi ex eo clarē apparere videtur, quod interim permulti cives parati sunt ad profugos recipiendos. Paucis demum diebus ante coetum quendam Magdeburgensem visitavi, qui deditus est profugis minorenibus curandis, qui familiae expertes in Germaniam pervenerunt. Eo quod nos misericordiā commovemur egestate hominum circa nos versantium, quod plerique nostrum non istos sequuntur, qui Germaniam velint obstruere, hōc animus meus verē excitatur atque confirmatur.

<sup>3</sup> \*tromocraticus, -a, -um *terroristisch*. cfr Carlo Egger, Latinitas 75, p.246: \*tromocratia, -ae f.

<sup>4</sup> nosocomīum, -ī n. *Krankenhaus*. COD. Iust.1,2,19.

<sup>5</sup> gerontocomīum, -ī n. COD.Iust. ibid.

<sup>6</sup> \*cooperātrīx \*ēvolūtōria *Entwicklungshelferin*. angl. (female) development aid worker; fr. coopérante; hisp. cooperante; ital. cooperatrice (per i paesi in via di sviluppo). 1. cooperatrix: cfr René Hoven, Lexique de la prose Latine de la Renaissance, Leiden/New York/Köln 1994, p.86, s.v.: cooperatrix I, -icis (subst.) \*\*celle qui coopère : CATH. (= AMBROSIUS CATHARINUS = Ambroise Catharin 1483-1553) Opuscula II, 76, 10. – 2. \*evolutorius, -a, -um: Johannes Jacob Treyling/ Conrad Thomas Fohringer: Tractatus Medico-Therapeuticus de Fabrica et Artificiosa Praescriptione Formularum Medicinalium, Ingolstadii 1728, p.472: »42. Omnis animalium generatio non est actus plasticus, sed **evolutorius** idearum rudimentalium in ovulo jam praeexistenter. -

<sup>7</sup> +mīlitissa, -ae f. *Soldatin*. In Glossario Ducangiano (Frankfurt/Main 1710, p.612) hoc verbum valet uxorem militis.

Hic autem est alter nuntius natalicius: animum nostrum excitari atque confirmari. Hic quoque nuntius olim in campis vici Bethlehem resonuit verbis quae sunt: "Nolite timere!" Is enim Deus, qui mundo apparuit personâ infantuli, omni timore nos vult levare.

"Nolite timere!": Haec verba hôc anno velim acclamare omnibus hominibus, qui sollicitentur de difficultatibus in mundo abundantibus, qui laborant de compluribus quaestionibus, quibus respondere adhuc nescimus. Cum timores intellegamus, tamen iisdem non afficimur. Oculis timore dilatis difficile tantum fit, ut cognoscamus vias quaestiones solvendi, iisdem potius fiemus infirmi ignavique. Illo nuntio oportet etiam intelligamus nos admoneri, ut confidamus nostris bonis moralibus, nostris viribus necnon nostrae democratiae.

Nonne hoc iam experti sumus: Qui paratus est ad difficultates superandas, inveniet quoque vias superandi. Ipso hôc tempore, viginti quinque annis post revolutionem pacificam, recordamur res posse reddi meliores.

Scimus semper fore, ut quidam timores nos comitentur. Sed scimus quoque magnam nostram facultatem humanam reverâ positam esse in eo modo vivendi, quem nos vocamus humanum. Hoc iterum iterumque experimur. Cogito enim de multis hominibus, qui hodie quoque alias homines curant apud vicinos, in nosocomio<sup>4</sup>, in gerontocomio<sup>5</sup> versantes. Necnon cogito de hominibus, qui operantur in illis regionibus Africæ, ubi febris ebolæ grassatur. De multis cooperatricibus evolutoriis<sup>6</sup>, militissis<sup>7</sup>, medicabus – de omnibus, qui ex hôc mundo exque nostrâ terrâ faciunt locum meliorem.

Nos omnes possumus conferre ad fluentum illud caloris vividum servandum, quo absente mundus esset frigidus pacisque expers: Eo quod auxiliamur auxilio egentibus. Eo quod pacem offerimus aliis, qui bello, tutelam aliis, qui persecutioni expositi sunt. Ad talia facienda admoneamur nuntio natalicio.

Haec meditatus vobis omnibus exopto Natale Domini laetum et benedictum».

**IOACHIMI GAUCK  
PRAESIDIS FOEDERALIS GERMANIAE  
ORATIONEM NATALICIAM**

<http://www.zeit.de/politik/deutschland/2014-12/gauck-weihnachtsansprache-fluechtlinge>

**IN LATINUM CONVERTIT**

**NICOLAUS GROSS**



**LEO LATINUS**

<http://www.leolatinus.com/>

## **MYTHI CLASSICAE ANTIQUITATIS PULCHERRIMI**

a Gustavo Schwab theodisce scripti, a Nicolao Groß Latine redditi

### **XXXVII. De Salmoneo**

Salmoneus, dominus Elidis, princeps erat dives, iniustus, animo superbus. Idem vir urbem condiderat magnificam, quam appellaverat Salmoniam, et eo superbiae provectus erat, ut ab hominibus sibi subditis postularet honores et sacrificia divina et vellet pro love haberri. Necnon personâ Iovis induitus per gentium Graecarum terras curru vectus est, quem voluit similem esse currui dei altitonantis. Ut hoc efficeret, dei fulgur imitatus est facibus sursum projectis, tonitrua ungulis equorum ferorum, quos iussit agere per pontes aeneos. Homines, quos curaverat trucidandos, simulavit esse fulmine percussos. Iuppiter ipse ex Olympo vidit ista incepta nefaria. Tum summus deus e densis nubibus verum fulmen corripuit, in orbem circumegit, in hominem mortalem deiecit insanâ superbâ affectum. Radio tonitruali rex percussus disiectus est, extincta est urbs ab illo condita, extinti sunt eiusdem incolae ad unum omnes.

### **XXXVIII. Hercules quomodo natus sit**

Hercules filius fuit Iovis et Alcmenae, Alcmena neptis Persei; vitricus Herculis nomine fuit Amphitryon, qui nepos Persei quoque fuit et rex Tirynthis, sed hanc urbem reliquerat Thebis habitaturus. Iuno, uxor Iovis, Alcmenam aemulam oderat nec de eius filio congaudebat, de cuius rebus futuris Iuppiter ipse magna praedixisset. Hercule parto Alcmena cum hac de causâ putaret illum in palatio non tutum esse adversus matrem deorum, filium exposuit quodam loco, qui postea quoque vocabatur Campus Herculeus. Ibi autem infans certe siti fameque extinctus esset, nisi forte fortunâ Iuno inimica eius ipsa Minervâ comitante illuc iter fecisset. Minerva autem cum formam pueri pulchram stupens aspectaret, eiusdem miserita lunonem comitem adhortata est, ut parvulo mammas suas praeberet divinas. At puer mammas suxit multo fortius, quam pro aetate eius exspectaretur; Iuno cum doleret, indignata infantem humum deiecit. Nunc Minerva misericordiâ commota illum humo receptum in urbem propinquam allatum tradidit Alcmenae reginae rogans, ut illa hunc alumnum miserum misericordiae causâ educaret. Sic mater naturalis pavore novercae inducta officium amoris naturalis negans parata fuerat filium proprium morti relinquere; at noverca quamvis odio completa esset huius infantis naturali, inscia non potuit, quin vitam servaret inimici. Immo vero: Hercules quamquam paucies tantum mammas lunonis suxerat.

tamen paucis guttis lactis divini iam effectum est, ut Hercules imbiberet immortalitatem.



**Hercules infantulus necat serpentes.** Pinxit *Pieter van der Werff* Batavus (1665-1722).

Interim Alcmena primo conspectu puerulum suum recognitum cunis laetê imposuerat. At deae quoque innotuit, quis mammis suis impositus esset et ipsa quam temere omisisset occasionem ulciscendi. Itaque statim emisit duas serpentes horribiles, quae infantem necaturae per ianuas apertas irrepserunt in cubiculum Alcmenae et, priusquam cubiculariae et mater dormiens hoc animadverterunt, cunis se circumvolverunt et collum pueri circumdare coeperunt. Puer autem excitatus clamore sublato caput erexit. Torques enim insolita ei erat incommoda. Tum tirocinium dedit roboris sui divini: nam utrâque manu cervicem serpentis corripuit et ambas semel comprimendo suffocavit. Serpentes nunc quidem animadversae erant a nutricibus; sed eaedem remotae sunt timore inexsuperabili. Alcmena clamore pueri experrecta erat; eadem nudis pedibus e lœcto prosiluit; opem implorans invecta est in serpentes, quas iam manibus pueri invênit suffocatas. Nunc principes quoque Thebanorum armati cubiculum intraverunt: rex Amphitryon. cui privianus.

cum a love donatus videretur, carus esset, territus approposavit gladio destricto. Tum ante cunas stans vidit et audivit, quid factum esset; voluptate horrori admixtâ percussus est agnoscens, quantâ vi inauditâ esset filius modo demum natus. Cum facinus Herculis Amphitryo videretur magnum omen, advocavit Tiresiam vatem Iovis magni et prophetam. Qui r̄egi et reginae omnibusque praesentibus praedixit vitam, quam puer esset percursurus: quot monstra in terris, quot beluas marinas esset prostratus, quomodo cum ipsis gigantibus conflicturus esset eosdemque devicturus et quomodo futurum esset, ut Hercules laboriosâ vitâ terrenâ peractâ cum luventate dâ coniunctus apud deos viveret vitam aeternam.

**MYTHOS  
A GUSTAVO SCHWAB NARRATOS  
IN LATINUM CONVERTIT**

**NICOLAUS GROSS**



**LEO LATINUS**

<http://www.leolatinus.com/>

## FABELLAE GRIMMIAE

### 52. DE REGE TURDIBARBO



Rêgi cuidam filia fuit superba et supra omnem modum pulchra, sed superbior et insolentior, quam ut ullus petitor ei placeret. Eadem puella unum virum post alium recusabat necnon illudebat. Aliquando rex magnum festum iussit celebrare ideoque e propinquo atque longinquo viros puellas ducendi cupidos invitare. Qui omnes uno ordine ordinati sunt secundum locum atque dignitatem; primo venerunt rôges, deinde duces, principes, comites, barones, ultimo viri nobiles inferiores. Nunc filia rôgis per ordinem ducta est, sed in omni petitore aliquid vituperavit. Unus ei visus est nimis crassus, »en istam semicupam!« dixit. Alter nimis longus, »Phy! Dispicet longurio, quo aspecto non esurio.« Tertius nimis brevis, »Crassus est necnon brevulus, fugiat ineptissimus.« Quartus nimis pallidus, »Abi, larva lurida!« quintus nimis ruber, »En salaputium ruberrimum!« sextus parum erat rectus, »iste incurvator est« inquit »ligno viridi, quod siccatum est post fornacem!« Simili modo ea vituperabat unumquemque petitorem, sed omnibus magis irrisit regem quendam bonum, qui stetit in summo ordine, et mento erat aliquatenus incurvato. »Eia.« clamavit ridibunda. »iste tali mento est quali rostro est

turdus« et ex hoc tempore ille rex vocabatur *Turdibarbus*. Rex autem senex, cum videret filiam nihil facere nisi homines irrideret, necnon omnes pettores ibi congregatos aspernari, irâ incensus iuravit eam nupturam esse primo cuique mendico, qui venturus esset ante portam suam.

Nonnullis diebus post cantor quidam coepit sub fenestrâ cantare, ut acciperet nummulorum aliquid. Illo auditio rex dixit: »Facite, ut ille ascendat ad nos«. Tum cantor sordidis vestimentis discisis induitus intravit et coram rôge rôgisque filiâ cantavit et, cum finivisset, rogavit, ut mercedulam acciperet clementer datam. Rex autem: »Cantus tuus« inquit »mihi tam bene placuit, ut velim tibi dare filiam meam in matrimonium ducendam.« Filia rôgis territa est, sed rex dixit: »Iuravi te a me datum iri primo cuique mendico, hoc autem ius iurandum servabo.« Haud iuvit contradicere, parochus arcessitus est, et puella coacta, ut nuberet cantori. Hôc facto rex: »Nunc« inquit »dedecet te mendici uxorem diutius remanere in meo castello, oportet emigres cum marito tuo.«

Mendicus autem illam manu apprehensâ foras eduxit illaque non potuit, quin cum marito pedibus iret. Cum in silvam magnam venirent, illa interrogavit:

»Heus quis habet eam silvam viridem?«  
 »Rex Turdibarbus habet eam rem;  
 illi si nupsisses, silvam accepisses.«  
 »Illi rôgi utinam nupsissem,  
 utinam silvam accepissem!«

Deinde venerunt ad pratum, tum illa interrogavit:  
 »Heus quis habet eum campum viridem?«  
 »Rex Turdibarbus habet eam rem;  
 illi si nupsisses, pratum accepisses.«  
 »Illi rôgi utinam nupsissem,  
 utinam pratum accepissem!«

Denique venerunt ad magnam urbem pulchram, tum illa interrogavit:  
 »Heus quis habet pulchram eam urbem?«  
 »Rex Turdibarbus habet eam rem;  
 illi si nupsisses, urbem accepisses.«  
 »Illi rôgi utinam nupsissem,  
 utinam urbem accepissem!«  
 »Valdê mihi displicet.« cantor inauit. »auod semper exoptas. ut alias sit

maritus tuus: num tibi videor parum bonus?« Tandem venerunt ad domunculam perparvulam, tum illa dixit:

»Oh Deus, ista domus quam est parvula!  
Heu cuius est miserrima domuncula?«

Cantor autem respondit: »Haec est domus mea atque tua, ubi unâ habitabimus.« Filiae rôgis dorsum flectendum fuit, ut intraret per ianuam humilem. »Ubi sunt famuli?« ea quaesivit. »Quid« mendicus inquit, »petis famulos! Tibi ipsi est id faciendum, quod vis fieri. Fac statim ignem accendas et aquam imponas, ut cenam mihi coquas; sum enim valdê fatigatus.« At cum filia rôgis nihil sciret de igne accendendo et coquendo, mendico ipsi adiuvandum erat, ut haec res aliquatenus fieri posset. Cenâ modicâ comesâ cubitum ierunt; at multo iam mâne vir uxorem e lëcto exegit, ut domum curaret. Hôc modo mendicus eiusque uxor per nonnullos dies simpliciter atque tenuiter vixerunt penus suum absumentes. Tum vir: »Heus uxor« inquit »non diutius poterimus cibos consumere nullam pecuniam accipientes. Tibi corbes sunt viendae.« Idem domo exiit, ramos salicum desecuit, domum secum attulit; tum illa coepit viere, sed duris salicibus manûs mulieris tenerae vulneratae sunt. »Video« vir inquit, »hoc non rectê fieri. Praestat te nere, fortasse hoc facere melius scis.« Illa consêdit et conata est nere, sed filo duro mox digitii filiae rôgis molles sunt insecti, ut sanguis destillaret. »Viden'« vir inquit »tu ad nullum opus apta es, te uxore ducendâ res mihi male successit. Nunc conabor mercaturam facere ollis vasisque figlinis; tu in foro considas et merces praebeas vendendas.« »Eheu,« illa cogitavit, »si homines patri meo subditi in mercatum venerint et me ibi sedentem mercesque praebentem viderint, quam vehementer me irridebunt!« At quid faceret? Illa non potuit quin parêret, nam alioquin ambo fame periissent.

Primo haec res bene successit, nam homines a muliere, quae formosa esset, libenter mercem emerunt et pretium solverunt, quod illa postulavit; immo multi mulieri pecuniam dederunt necnon ollas reliquerunt. Nunc pecuniâ acceptâ victum sibi paraverunt, dum suffecit, tum vir iterum multa mercatus est vasa escaria. Deinde mulier in aliquo angulo mercatûs consedit et vasa illa sibi circumposita praebuit vendenda. Tum subito husarus inebriatus equo advectus medias in ollas equitavit, ut omnes in mille testas diffrigerentur. Illa lacrimis proruptis pavore nescivit, quid faceret. »Eheu me miseram!« inquit, »quid fiet de me ! Quid maritus meus dicet de istâ re?« Eadem domum properavit maritoque de istâ calamitate narravit. »Quisnam« maritus inquit indignatus »in angulo mercatûs consedit cum vasis fictilibus! Ah. desine flere. bene video te

non utilem esse ad opus probum faciendum. Fui in castello rēgis ibique rogavi, num indigerent ancillā coquinariā, et illi mihi promiserunt fieri posse, ut te adhiberent; si labores in coquinā exanclaveris, cenulam accipies sumendam.«



**Ecce husarus inebriatus equo advectus in ollas equitans, ut omnes diffingantur.**

Nunc filia rēgis facta est ancilla coquinaria, adiuvandus ei erat coquus, exanclandi ei erant labores molestissimi. Eadem utrique encombomatis sacculo ollulam infixit, quam complevit iis cibis, qui sibi relictū erant; quibus mulier maritusque se nutriebant. Factum autem est, ut nuptiae celebrandae essent filii natu maximi; tum misera mulier ascendit et ante oeci portam constituit aspectura. Cum lucernae accenderentur et homines intrarent unus altero pulchrior, et omnia essent magnifica atque ornatissima, tum illa animo contristata deliberavit de fortunā suā superbiae suae insolentiaeque maledicens, qua humiliata erat ad summam paupertatem redacta. Interdum ministri ei obieciebant nonnulla frustula ciborum delicatorum, qui ibi inferebantur et efferebantur, quorumque nidores ad nares mulieris ascendeabant; haec frustula ollulae indita secum auferebat domum allatura. Subito filius rēgis intravit, examito et serico vestitus, catenis aureis collo circumdatis. Idem cum pulchram mulierem vidit ad ianuam stantem, manu apprehensā cum illā voluit saltare; sed illa recusavit territa, nam videt regem Turdibarbum esse, qui nuptias secum faciendas petens a se iridente reprobatus erat. Mulier frustra restitit, nam a viro in oecum est tracta; tum taeniā, e qua sacculi pendebant, disruptā ollulae exciderunt, sorbitio effluxit, frustula huc illuc dissiliebant. Hominibus autem istaec videntibus tantus risus est exortus tantaue subsannatio. ut illa vehementer erubescens mallet sese

suffossam esse sub terrâ mille tensas altâ quam istaec videret atque audiret. Mulier ad portam prosiluit evasura, sed in scalis vir eam assecutus secum reduxit; eum aspectum mulier agnovit esse regem Turdibarbum. Qui eam allocutus: »Noli« inquit »timere; ego et ille cantor, qui tecum vixit in misero illo gurgustiolo, sumus îdem vir, tui gratiâ personam alteram gessi, et ille husarus, qui equitando diffregit ollas tuas, ego quoque fui. Haec omnia facta sunt, ut flecteretur animus tuus superbus et ut punireris pro fastu tuo, quo me irriseras.« Tum illa amariter lacrimans: »Iniustissimê« inquit »cum me gesserim, non sum uxor te digna.« Ille autem: »Consolare te« inquit »nam mali dies sunt transacti, nunc celebremus nuptias nostras.« Tum venerunt cubiculariae eique mulieri induerunt vestimenta quam maximê magnifica atque quam ornatissima, et pater eius vînit veneruntque omnes aulici, mulierique salutem exoptaverunt in nuptias cum rîge Turdibarbo celebrandas, et nunc demum incohata est vera laetitia. Eia, utinam nos quoque, tu et ego, illis nuptiis adfuissemus !

**FABELLAM GRIMMIANAM  
C.T. »König Drosselbart«**

**IN LATINUM CONVERTIT**

**NICOLAUS GROSS**



**LEO LATINUS**

<http://www.leolatinus.com/>

# DE RAPTORE HOTREN PLUTONI

Fabula Casparuli  
quam theodiscê narravit  
**Otfried Preußler**

in Latinum convertit  
**Nikolaus Groß**



Editio prima  
in domo editoria, quae appellatur  
**LEO LATINUS**

Hic liber habet 136 (centum triginta sex) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 24 (viginti quattuor) paginas. Liber constat 25 € (viginti quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: [SPQR@LEOLATINUS.COM](mailto:SPQR@LEOLATINUS.COM)

d.07. m.Oct. a.2014, h. 13:34

## Praemium anni 2014 Nobelianum physices

### Inventores ipsius LED honestari Praemio Physices Nobeliano

Commissio Holmiensis praemium dedit tribus luminis laserici investigatoribus laponibus: *Isamu Akasaki et Hiroshi Amano et Shuji Nakamura* propter lucidas diodos caeruleas investigatas.




**Ecce tres viri Praemio Nobeliano honestati: Qui investigatores praemium accipiunt propter novos fontes lucis inventos, quibus energiae et circumiectis parcitur.**

**Holmiâ ex urbe** – Hôc anno Praemium Physices Nobelianum attribuitur tribus viris ex Iaponiâ oriundis, quibus nomina sunt *Isamu Akasaki et Hiroshi Amano et Shuji Nakamura*. Qui hoc praemium accipiunt, quod invenerunt diodos lucificas (*anglice LED = light-emitting diode*), quibus emittitur lumen caeruleum. Hoc die Martis Holmiâ in urbe enuntiatum est ab Academiâ Scientiarum Regiâ. Commissio Nobeliana hôc praemio dignata est, ut ipsa dixit, viros, qui ratione omnino novâ et inauditâ investigassent novos fontes luminis, quibus energiae et circumiectis parceretur. Summum praemium omnium, quae physicis attribuuntur, constat 880.000 (octingentis octoginta milibus) euronum sive octo milionibus Coronarum Sueticarum.

Sive agitur de lampadibus palmalibus sive de visificiis telephonorum mobilium sive de lucernis posticis frenalibusve: Tales res hodie vix construi possunt sine diodis lucificis. Talibus diodis emittitur lumen rubrum et flavum et viride et album. At cum diodos lumen caeruleum emittentes fabricare conarentur, investigatores per longum tempus

frustra muginabantur. Methodus tale lumen diodis efficiendi diutius habebatur pro mysterio sacrosancto.



*Shuji Nakamura investigator incola Civitatum Unitarum  
est unus e tribus physicis hoc anno praemio Nobeliano honestatis.*

Trium Iaponum scientistarum laboribus id effectum est, ut hodie caeruleae diodi lasericae atque lucifcae cottidie adhibeantur. Academia explicavit, cum toto in orbe terrarum quarta fere pars electricitatis consumeretur ad res illuminandas, diodorum lucifcarum usu parci posse energiae materiisque crudis.

Iam prioribus annis nonagenariis Akasaki et Amano et Nakamura investigaverunt materiam semi-conductoriam, qua emittuntur radii luminis caerulei. Antea iam nōtae fuerant materiae, quibus effici potest lumen viride aut rubrum. Sed ad lampades albas fabricandas necessarium fuerat lumen caeruleum. Complura decennia transacta sunt, antequam diodi caeruleae tam efficaces factae sunt, ut iisdem lampades albae fabricarentur.

Diodi lucifcae continent crystallum parvam, qua, si fluit fluentum electricum, emittitur lux. Ad tales crystallos lucifcas fabricandas necessarii sunt processūs intricati. Crystallus pro genere materiae suae emittit certum colorem – e.g. crystallis, quae constant e gallio nitrato (GaN), emittitur lux caerulea.



Iapon *Hiroshi Amano* unâ cum collegis suis primum omnium invênit materiam semiconductoriam, qua emittuntur radii lucis caerulei.

**In mercatu semiconductorio quadamtenus factam esse revolutionem**

Diodis lucifícis gallio nitrato confectis mercatus semiconductorius funditus renovatus est: Per multos annos diodi luminis rubri adhibebantur, e.g. in lectris discorum compactorum (*angl. compact-disc player; fr. lecteur de CD; ital. lettore CD*). At ipsis in delectabilibus instrumentis electronicis mox gratiōres factae sunt diodi caeruleae quam rubrae, quia laseribus (\**laser, -eris n. Laser = Light Amplification by Stimulated Emission of Radiation*) caeruleis in discum compactum multo plura data imponi possunt quam rubris.

Annis nonagenariis ineuntibus *Nakamura* et *Akasaki* Iapones fuerunt investigatores primi omnium, qui incumberent in emissoria galli nitrati construenda. Interim ubique terrarum aliquot centum negotiationes et scientiae investigant fabricantve substantias gallio nitrato conficiendas. *Nakamura* investigator diodorum lucifcarum per multos annos laboravit pro negotiatione *Nichia*, quae est *Tokushima* in urbe Iaponicâ. Eadem negotiatio nunc est una ex maximis talium instrumentorum fabricatricibus.




***Isamu Akasaki vir Iapon praemio Nobeliano honestatus in Meijo Universitate Studiorum Iaponiensi diodos perscrutatur lucifcas.***

Nuntio Commissionis Nobeliana accepto *Nakamura* stupefactus est: »Incredibile«, idem Iapon inquit, »auditu«. Qui hodie vivit in Civitatibus Unitis et professor laborat in Universitate Californiae, quae sita est in urbe Sanctae Barbarae. *Akasaki* autem res physicas investigat in *Meijo*

Universitate Iaponiens, *Amano* eius collega professor est in Universitate Nagoyae.

A.2013 praemium scientistarum honestissimum – unâ horâ serius quam oportuit – attributum est *Petro Higgs* Britanno atque *Francisco Englert* Belgae. Qui ambo physici particularum a.1964 *mechanismum* invenerunt, qui dicitur *Higgsianus*. Eorum theoria a.2012 demum *bosonio Higgsiano* invento in *CERN* centro investigationis nuclearis confirmata est.


Die Lunae *John O'Keefe* neurologus Americano-Britannus et par coniugum Norwegianum *Maria-Brigitta (May-Britt)* et *Edvardus Moser* honestati sunt praemio medicinae Nobeliano. Qui cellulas invenerant, quae quodammodo efficiant »systema cerebrale navigationis internum«. Hoc systema dicitur multum valere ad rationem loci inveniendi spatialem.



**Ecce inventum praemio dignum: Diodi lucifiae continent parvam crystallum, qua fluente fluente lux emittitur. Crystallus pro materiâ, e qua constat, certum colorem emittit – si constat e gallio nitrato, emittit lucem caeruleam.**



Ecce illuminatur vita cottidiana: Investigatores accipiunt praemium Nobelianum propter diodos inventas, quae emittunt lumen caeruleum.



Per longum tempus scientiae putaverant diodos lumen caeruleum emittentes fabricari non posse. Illorum trium laponum gratiâ interim diodi laseris lucisve caerulei in consuetudinem venerunt.

**RELATIONEM  
DE PRAEMIO PHYSICES NOBELIANO  
A. 2014 ATTRIBUTO**

<http://www.spiegel.de/wissenschaft/natur/nobelpreis-physik-2014-geht-an-drei-lichtforscher-a-995615.html>

**IN LATINUM CONVERTIT**

**NICOLAUS GROSS**



**LEO LATINUS**

<http://www.leolatinus.com/>



# ***Recitator***

Fabula romanica  
quam theodiscē scripsit  
**Bernhard Schlink**

in Latinum convertit  
**Nikolaus Groß**



Editio prima  
in domo editoriâ, quae appellatur  
**LEO LATINUS**

Senden in oppido Bavariæ Suebicæ  
a. 2012

Hic liber habet 291 (ducentas nonaginta unam) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 91 (nonaginta unam) paginas. Liber constat 45 € (quadraginta quinque euronibus) et directē per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: [SPQR@LEOLATINUS.COM](mailto:SPQR@LEOLATINUS.COM) Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-32-6. TOLLE  
LEGE !

## VOCES ET ECHUS

### THOMAS LINDNER SALISBURGENSIS editori *Epistulae Leoninae s.p.d.*

Pro *Epistulis Leoninis* constanter acceptis tibi gratias plurimas ago; quarum lectio mihi magno semper est gaudio.

Itaque te rogare velim, ut in rubrica *Vocum et Echus* subsequentis *Epistulae* inscriptionem electronicam meorum carminum Latinorum editionis, quae *Lyra Latina* vocatur, una cum hoc epistolio publici facias iuris:

[http://thomaslindner.members.cablelink.at/lindner\\_lyr\\_lat\\_ed\\_min.pdf](http://thomaslindner.members.cablelink.at/lindner_lyr_lat_ed_min.pdf)

Ut in carminibus componendis traditionem classicam novis formis, structuris, argumentis augmentarem, poëta Latinus recentissimae aetatis semper summa ope nitebar. Qua in editione enim perfacile et gratuito lectores cunctas *Lyrae Latinae* editiones una cum variis lectionibus, additamentis, etc., in promptu habebunt et fortasse haud inviti collatione facta textuum varietatem observare poterunt.

Cura, ut valeas!

**PAUL LAILY d.21.m.Nov. a.2014 h.18:11 scripsit haec:**

Care Nikolae,

Paulus tibi salutem dat, A te quaero num libri "Mythi Graecorum" a Gustavo Schwab narrati et a Nikolao Gross latine converti emere possim, et quoque quid faciam ut hos libros accipiam et pretium solvam

Tibi gratias ago

Vale.

Paulus

Nicolaus Paulo sal.pl.dic.

Care Paule,

valde gaudeo, quod versiones meas mythorum tibi tam bene placent, ut emere velis. Revera in animo mihi est totum opus mythorum Schwabianum in Latinum convertere. Sed cum idem magnum sit, rogo te, ut patientiam habeas. In omni fere Epistula Leonina invenies tales mythum a me Latine redditum.

Cura ut valeas.

Medullitus te salutat

Nicolaus Groß  
LEO LATINUS

**József Kovács d.12. m.Nov. a..2014 h.12:52 scripsit haec:**

Honoratissime Domine Gross,

magno cum gaudio animique delectatione scripta huius epistolae legere soleo, ut parvulam scientiam linguae Latinae meliorem factitem eamque studii causá augeam.

Veniam peto imprimis, cum licentiam mihi adsumo, me imprudente, Te interrogationibus fortasse satis stultis fatigare.

Scire velim, an in vicem verbi, quod infra sequitur, forte verbum **quianam** reponi possit?

Gratias Tibi, Domine, in antecessum persolvo.

Valeas quam optime

Iosephus Faber

"Si aras ponitis Latonae

, **quidnam** ture vacat

nomen meum divinum"

**LEO LATINUS IOSEPHO FABRO respondet haec:**

Care Iosephe,

in sententia a te allata utrumque verbum licet adhibere (aut quidnam aut quianam),

cfr Oxford Latin Dictionary 1561, s.v. quisnam, 2 (neutr.) c (as adv.) why, pray? ...  
c sed quidnam hic sese tam cito recipit domum? PLATUS Mosella 541;  
TERENTIUS Andria234; quidnam ora maesta auertis...? SENECA Phaedra 886.

Semper vale,

Nikolaus Groß

LEO LATINUS

**WILL ERICKSON WISCONSINIANUS d. 27. m.Nov. scripsit haec:**

Care Nikolae,

Ignoscas, quaeso, silentio meo diurno. Compluribus rebus scholaribus continenter distineor, nunc autem tandem nonnullis fériis fruor. Spero te interim optime valuisse.

Discipulis meis bene Latine progressis iam pridem quasdam Epistulas Leoninas ostendi atque cum eis perlegi. Qui magna miratione affecti sunt ob tuam volubilitatem et operis tui magnitudinem. Qui quoque me rogarunt ut ego pro eis te salutarem optimaque vota ex eis tibi exoptarem. Illi insuper curiosissimi velint scire quo munere fungaris; coniectarunt te Latinitatem apud quandam universitatem docere, sed me petiere ut ipse te rogarem (si liceat).

Hac die gratiis agendis a nobis Americanis dicata, tibi rursus gratias maximas ago pro iucundissimo et indefatigabili opere tuo.

Optima quaeque tibi exoptat

Vilelmus (suique discipuli)

**LEO LATINUS VILELMO ERICKSON WISCONSINIANO respondet haec:**

Care Vilelme,

cum ego scribendi moram tibi libenter concedam, da tu quoque veniam quod variis negotiis districtus sero tibi respondeo. Gratias ago tibi tuisque discipulis quam plurimas pro litteris meis tanta cum benevolentia laudatis. Gaudeo quod tibi sunt discipuli bene Latine progressi.

De officiis quae hoc tempore gero, breviter tibi referam: Ante decem fere annos ex Corea in patriam reversus vitam dego prope Ulmam (est urbs illa ad Danubium fluvium sita, quae cum ceteris rebus tum praecipue altitudine ecclesiae cathedralis innotuit), ubi in gymnasio doceo biologiam et linguas latinam et palaeograecam; in universitate studiorum linguas vetustas, quae sunt latina, palaeograeca, sancrita.

Ex quadraginta fere annos Latinitatem colo vivam; cum per decennium Patris Caelestis Eichenseer discipulus atque cooperator fuerim, adhuc deditus sum Latinis vocabulis querendis et novandis. Haec hactenus, mox fortasse plura.

Utinam dies natalicii tibi tuisque discipulis sint iucundi recreabilesque, utinam annus MMXV futurus sit tibi faustus felixque !

Medullitus te salutat

Nicolaus Groß  
LEO LATINUS

**URBANUS BRASILIAPOLITANUS LEONI LATINO SCRIPSIT HAEC:**

Urbanus Leoni Latino s.p.d.

Ave, magister optime! Mitto tibi fabellam, quæ mihi movit risum. Ipse in Latinum sermonem converti. Vide si vere sonat Latine. Plurimum vale.

Brasiliapoli, Martis die, III Nonas Decembres.

Urbanus.

**Ebrii quomodo taxirædâ sint vecti**

Tres viri ebrii inscendunt taxirædam. Taxiraedarius, ubi primum animadvertis viros esse ebriores, quam ut oporteat cum iis vehi, motrum primo expedit, sed deinde statim sistit. Tum ad viros conversus «pervenimus» inquit «ad locum, quem optastis». His verbis auditis unus illorum escendit solvitque pro vecturâ pretium; alter maximas agit gratias; at tertius taxiraedarium pugno cædit. Is fraudem suam patet factam esse arbitratus quærerit ex illo causam: «Cur me percussisti?». Ebrius autem respondet: «Stulte, noli vehi tantâ cum celeritate!».

LEO LATINUS URBANO BRASILIAPOLITANO s.

Care Urbane,

gratias tibi ago pro facetia missa. Placet mihi, cum risum moveat.  
Mox edetur EL 83, cui inserui facetiam tuam.

Vale semper!

Medullitus te salutat

LEO LATINUS

**21.12.2014 12:39 scripsit MARCUS CRISTINI ITALUS:**

Marcus Cristini Nicolao Groß s.p.d.

Care Nicolae,

ego semper libentissime Epistulas Leoninas tuas legi, eas modo nocturna versavi manu, modo versavi diurna. At, pro dolor, a mense Octobris nullam Epistulam iam accepi. Fortasse programma cursus publici electronici mei male munere suo fungitur (ut satis saepe accidit). Quam ob rem scire velim, utrum ab Octobre novas Epistulas Leoninas publicavisti an non et quomodo eas extrahere possum.

Interea tibi exopto laetiferum festum Christi Natalis atque felicem ditissimumque Latinitate novum annum!

Optime vale

Marcus Cristini

Care Marce,

gratias magnas tibi ago pro epistolio tuo. Quod attinet ad Epistulas Leoninas, noli sollicitari! Bene spero hac septimana editum iri Epistulam octogesimam tertiam. Doleo me mensibus Novembri et Decembri discipulis studiosisque docendis occupatiorem fuisse, quam ut novam Epistulam Leoninam conscriberem.

In Natale Domini optima quaeque tibi exopto, vir latinissime. Medullitus te rogo, ut maneas lector mei fidelis. Ceterum exopto, ut valeas quam optime.

Haec hactenus, mox certe plura.

Nicolaus Groß  
LEO LATINUS

# AUDI CANTICUM NATALICIUM

**VOCE ADMIRABILI CANTATUM !**

<https://www.youtube.com/watch?v=0cKfAeFDSM0>



**Günter Wewel: »Transeamus usque Bethlehem«**

Cantor (+1934) versatur prope casam *Leogang* in vico Austriaco *Saalbach-Hinterglemm* sitam. Receptio est facta a.2001.

»Transeamus usque Bethlehem« est natalicium opus chorale in Silesiâ exortum. Compositor melodiae est ignotus.

**Transeamus usque Bethlehem  
et videamus hoc verbum quod factum est.  
Mariam et Joseph et Infantem positum in praesepio.  
Mariam et Joseph et Infantem positum in praesepio.**

**Gloria in excelsis Deo, in excelsis Deo**

**Transeamus, Gloria Gloria  
Transeamus, Gloria Gloria**

**Videamus multitudinem  
militiae caelestis laudantium Deum,  
Mariam et Joseph et Infantem positum in praesepio.**

**Transeamus  
et videamus quod factum est**

**Et videamus quod factum est.**

*Basso multiplicato.*

*Recitativo lacet.*

Andante.

*Pastorella.*

Transeamus usque Bethlehem et videamus hoc  
 verbum quod factum est transcamus usque Bethlehem et audi-  
 amus hoc verbum quod factum est Marian et Joseph et Infantem pos-  
 tum in praesepio Marian et Joseph et Infantem positum in  
 praesepio transeamus et videamus

multitudinem militis coelestis laudantium Deum Ma-  
 riam et Joseph et Infantem positum in praesepio transeamus  
 et videamus quod factum est et audi-  
 amus quod factum est.

Punctum



**HANC EPISTULAM LEONINAM  
OCTOGESIMAM TERTIAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

**Die 25., m.Dec. a.2014**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**



**<http://www.leolatinus.com/>**